


05

A

662





I. N. J.  
DISPUTATIO SECUNDA  
*De*  
PARVIS LOGICALIBUS,

*Quam*  
Sub Præsidio  
M. JOHANNIS DÜRRII DRESD.

Alumni Elect. & Collegij Phil. Adjuncti,

*proponit*  
DAVID GROSSIUS MITW. MISN.

*ad diem VI. Martij horis antemer.*

In Auditorio minori.

---

WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.  
ANNO MDC. XLI.

MULTUM. REVERENDO, CLARISSIMO  
ATQUE EXIMIO.

Dn. M. BENIAMIN. STARCKIO.  
PASTORI. MITTWEIDENSIUM. SUPREMO.

UT, ET.

AMPLISSIMIS. PRUDENTISSIMIS. ET.  
SPECTATISSIMIS. VIRIS.

Dn. COSS. ET. CÆTERIS. IN-  
CLUTÆ. REIP. MITTVEIDENSIS.  
SENATORIBUS. DIGNISSIMIS. ET. MERI-  
TISSIMIS.

EGREGIIS, PATRIÆ, SUÆ, LUMINIBUS.




Exercitium hoc Academicum in  
sui, studiorumq; suorum commen-  
dationem.

offert

David Grossius  
Respondens.

05 A 662



## I. N. J.

**P**er multos esse novimus, qui de Parvis Logicalibus, ut vocantur, eam animo imbibere sententiam, ut eorum tractationem leve quiddam, & Scholasticorum inventum existiment: neque necessariam adeo, aut magnopere eam fructuosam esse, ut sine jacturâ magnâ omitti posse putent. A quibus, quoniam ita dissentimus, ut isthæc Parva Logicalia inter ea potius, quæ utilia maxime in Logicis habentur, numeranda esse contendamus; neque excogitata esse à Scholasticis, cum Michaël Psellus, qui temporibus Henrici Quarti Imperatoris, Constantinopoli floruit, l. 5. Synopses totum caput vigesimum sextum habeat περι υποθεσεων, arbitremur: Constituimus ante hos tres quasi annos, eam nobis ad disputandum materiam sumere, & summa saltem Parvorum Logicalium capita, quantum id quidem in nobis erit, perspicue proponere, & eruditorum examini submittere. Hoc enim nunquam diffitebimur, Scholasticos Dd. hanc rem ita obscurasse, dilatasse, & nescio quæ addidisse, ut Augustinus Niphus Parva Logicalia sorticularum nugas & figmenta nominavit: Johannes verò Casus Oxoniensis dicat, se haud immerito persuasum esse, quod tartareos spiritus ex orco Veteres illi Monachi & otiosi ventres evocarint, qui hæc tam mira illis suggererint. Sed sunt mala mixta bonis. Illas certe Scholasticales tricas vitiosâ nuce non emeremus; hinc plerasque etiam suis autoribus reliquimus: quæ verò profutura nobis cognovimus, retinimus. Nulla res est tam nihili, qua non aliquando proficit, si noris uti. Quocirca, quia in primâ disputatione breviter de Suppositione egimus, nunc in secundâ de Ampliatione pauca trademus.

A 2

SECTIO

## SECTIO III.

De

### AMPLIATIONE.

§. 1. Ampliatio est acceptio termini pro pluribus, quàm differentia temporis, per principalem copulam denotata includit. Scil. tunc terminus amplè sumitur seu ampliatur, quando pro pluribus suppositis, aut pluribus temporum differentiis, accipi potest. v. g. Homo potest esse doctus. Homo sumitur amplè, non tam pro præsentibus aut viventibus, aut quibusdam certis suppositis, sed tum pro iis, qui actu sunt, tum qui futuri sunt, & esse possunt. Ut sit sensus: Quicumque est homo, potest esse doctus; item qui erit homo, potest esse doctus: qui potest esse homo, potest esse doctus. Similiter in hac propositione: timidus erit audax, ampliari dicitur illa vox timidus, quia extenditur ad tempus præteritum & præsens. Sensus enim est, qui fuit timidus, & nunc est timidus, futurus est audax. Cum tamen per verbum principale erit solum futurum tempus significetur.

§. 2. De Ampliatione quid sit, principiò exponendum fuit. Eam autem non aliter se habere, quàm ut diximus, docent nos ij, quorum autoritas plurimum meritò in hac re valere debet, Logicorum doctorum. Quos & deinceps sequemur. Inter hos Petrum Hispanum Portugalensem (quem credunt initiò quidem Episcopum Tuscanum fuisse & Cardinalem, post autem summum Pontificem, mutato nomine, Johannem vigesimum primum) præcipuè nominamus, qui in Tractatu tertio Parvorum Logicalium Ampliationem ita describit: Ampliatio est extensio termini à minore suppositione ad majorem, h. e. à minori ambitu seu acceptione terminorum ad majorem. Quam ipsam descriptionem Versor Parisiensis planius sic exponit: Cum dicitur homo currit, homo reddit locutionem

nem.

47.

nem veram solum pro illis, qui sunt actu homines, propter exigentiam illius adjuncti, currit: sed cum dicitur: homo potest currere, ibi locutio potest verificari, tam pro illis, qui sunt actu homines, quam pro illis, qui sunt potentiâ, & ita homo ampliatur & augmentatur actu & ejus supposito, & per hoc adjunctum, potest. Semper itaque ampliationem fieri animadvertimus respectu termini potentis teneri pro pluribus, ut ipsi loqui amant, quam exigit sua actualis suppositio. Confer cum hac expositionem Petri Tartareti Tractatu de Ampliationibus fol. 509. It. Marsilij in Tract. Ampliat. p. 169.

§. 3. Collegium Complutense l. 1. de Terminis eodem prorsus modo Ampliationem definit. Dominicus verò Bannes, qui plusquam septuagenarius in Academia Salmantina Professor, rudimenta Logicæ scripsit, & antiquo (ut ait) parvulorum ludo se iterum inclusit, in Institut. Dialecticæ Minoris, quas summulas vocat, l. 2. Tract. 1. de supposit. c. 6. de industriâ addit particulam acceptionis, quia ut terminus ampliatur, non necessarium ducit, ut supponat; sufficit, ait, si accipiatur pro suo significato. Quâ in parte tamen Tartaretum consentientem non habet. Ita enim hic concludit: Dicitur notanter in propositione, quod termini extra propositionem non ampliantur. Unde ad hoc, quod terminus ampliatur, opus quod supponat. Ideò termini non supponentes propriè non ampliantur. Lorinus deniq; rem ita declarat: Ampliatio est extensio termini ad plures differentias temporis, quam importatur per copulam principalem, ut diligens erit doctus, id est, non modò qui est; sed & qui erit. Vide sis Congestum Logicum hac de re, & quos non nominavimus, autores alios.

§. 4. Ex quibus definitionibus omnibus, observandum præcipuè illud est, quod comparatio semper instituatur à minori ad majorem suppositionem. Quapropter necessarium

A. 3,

porrò,

porrò erit, ut designetur status aliquis suppositionis, respectu  
cujus major suppositio reguletur. Certissima autem regula  
est judicandi, quænam sit Ampliatio, ex copulâ præsentis tem-  
poris. Si enim terminus accipitur pro pluribus, quàm accipe-  
retur respectu copulæ præsentis temporis, dicitur ampliari.  
A quâ sententiâ nihil distat Logicorum fermè omnes, qui  
nimirum statum suppositionis termini constituere consuevé-  
runt, respectu copulæ de præsentis; ita, ut omnis alia acceptio  
termini, quæ non excludit supposita præsentis, & insuper com-  
plectitur alia alterius differentiaæ temporis, sit ampliatio.

§.5. Quid Ampliatio sit, diximus hæctenus. Nunc eundem  
per species est, ut naturam Amplitudinis plenius cognoscamus.  
Hoc antequam instituamus, non possumus, quin ex laudatis  
Magistris moneamus, Ampliationem, quam & Amplitudi-  
nem, & Latitudinem & Dilatationem & ἐκτετακτικὴν, id est, Extensio-  
nem & dicti laxationem rectè dixeris, vel activè vel passivè su-  
mi posse. Activè sumpta Ampliatio est extensio termini com-  
munis, à minore suppositione ad majorem. Passivè est ampli-  
tudo s. latitudo terminorum ratione differentiarum temporis,  
quando subjectum ratione existentiaæ suæ plures temporis dif-  
ferentias includit, quam habet principalis copula. Comment.  
in Tractat. Ampliationum Marsilij quæst. 1.

§.6. Nunc ergò ad divisionem Ampliationis ordine pro-  
gredimur. Quadrimembrem tradit Petrus Hispanus, quem  
ad rem propositam suprâ laudavimus, ita ut alia fiat per ver-  
bum, alia per nomen, alia per participium, alia per adverbium.  
Eandem mox reducit ad duo membra, dicendo, quod Ampli-  
atio alia fiat respectu suppositorum, alia respectu temporum,  
quod & cæteri Doctores Logici facere consueverunt.

§.7. Sufficientia hujus divisionis ista est, quia cum omnis  
Ampliatio sit extensio termini, vel ergò extendit ipsum in or-  
dine

16.

dine ad supposita, & sic est primum membrum, vel in ordine ad tempus illorum, & sic est secundum. Tartaretum hac de re eruditè exponentem audiemus: Sic autem inquit: Terminorum ampliavorum quidam ampliant terminos à parte antepositos, ut verba præteriti & futuri temporis & eorum participia: quidam ampliant terminos post se positos, ut sunt verba significantia actum interiorem animæ, ut intelligo, cognosco: quidam ampliant tam à parte ante, quàm à parte post, ut: possibile, impossibile. Ex quo sequitur, quod aliqui termini dicuntur ampliare ratione temporum: ut illi termini, qui important aliquam differentiam temporis aliam à præsentis: & tales termini ampliant à parte ante terminos, & non à parte post: alij termini ampliant ratione significandi, quorum significatio potest convenire tam rebus existentibus, quàm non existentibus, ut sunt termini importantes interiorem actum animæ.

§. 8. Ampliatio temporum est, quando suppositio termini extenditur ad varias temporis differentias, vel: Ampliatio temporum vocatur, quando terminus accipitur pro pluribus differentiis temporum, quàm acciperetur, si non ampliaretur respectu quarum seorsim verificatur.

§. 9. Quinq; autem differentias temporis Complutenses enumerant, nempe præteritum, præsens, futurum, possibile & imaginarium, ut in hac propositione: Avarus expetit pecunias, pecunias ampliari dicunt, ad omnes differentias temporis, quia reddit hunc sensum: Avarus expetit pecunias, quæ sunt, vel fuerunt, vel sunt possibles, vel imaginariæ. Ita etiam tradit Petrus Tartaretus: tres sunt temporum differentia, scil. præsens, præteritum & futurum: & possunt adhuc poni duæ: scil. possibile & imaginabile.

§. Verùm Ampliatio ad tempus imaginabile videtur Bernhardo

haro Morisano, Fonseca, aliis, esse imaginaria, cum omnia, quæ imaginamur, sive fictitia sint, sive vera, imaginemur in aliquâ temporis differentiâ. Et cum constet, nomina rerum verarum, ex sui institutione, tam commodè res veras significare, perspicuum est, non debere attendi, ad significandas res imaginarias.

§. 11. Similiter rerum fictitiarum nomina, cum tantummodò res fictitias significant, non possunt supponi pro veris, aut pro verâ existentiâ: sed tantum pro imaginariâ, in aliquâ differentiâ temporis imaginarij, unde neq; rectè diceretur; Homo qui est, vel erit, vel esse potest, vel qui est tantum in meâ imaginatione, quia nullus est talis, nec vox homo talem significat: neq; eodem modo rectè diceretur, Chymera, quæ vera est, vel fuit, vel erit, sed quia imaginor esse, vel fuisse, vel fore.

§. 12. Hinc etiam Commentator Marsilij, postquam docuit, signum diversas temporum differentias importare tripliciter, scil. formaliter, virtualiter, formaliter & virtualiter simul, hoc Corollarium ex textu Marsilij deducit: Propriè tres tantum sunt differentiae temporum: quæ apud Grammaticum sufficiunt, scil. præsens, præteritum & futurum: impropiè tamen (secundum Logicum) duæ adduntur differentiae, scil. possibilis & imaginaria.

§. 13. Quocirca tantum quatuor erunt Ampliationes. 1. cum vox ampliatur ad præsentia & præterita, ut: Nullus hostis Ecclesiæ totaliter destruxit Ecclesiam, sensus est: Nullus qui est, vel fuit hostis Ecclesiæ totaliter destruxit Ecclesiam, ideoq; in termino hostis Ampliatio est, quia extenditur non tantum ad præsens, sed & præteritum. Prædicatum autem, saltem de uno scil. prædicato intelligitur.

§. 14. 2. Cum ad præsentia & futura vox ampliatur, e. g. omnis vivens morietur, i. e. omnis, qui est, vel erit vivens, morietur,

17.

rietur. In copulâ principali detrotatur solùm futurum, in sub-  
jecto non item, sed extenditur ad præsens & futurum. Simili-  
ter in hâc propositione: Nullus Tyrannus conservavit Rem-  
pub. ampliatio est ad præsens & futurum tempus.

§. 15. 3. Cum vox ampliatur ad futura & præterita e. g. va-  
cante sede Papali, omnis Papa tenebitur rationem reddere offi-  
cij sui. In subjecto est Ampliatio, involvitur enim futurum  
& præteritum tempus.

§. 16. 4. Cum vox ampliatur ad tempus præsens, præteri-  
tum & futurum e. g. omnes homines judicabuntur à Christo  
in novissimo die: tempus hîc verbi principalis est futurum.  
Subjectum autem extenditur ad præsens, præteritum & futu-  
rum, in explicatione: omnes homines, qui sunt, vel fuerunt,  
judicabuntur. Sic: Qui studet morietur, id est, qui studuit,  
studet nunc, & in posterum studebit, morietur.

17. Petrus Fonseca quadruplicem Ampliationem ita recen-  
set: Unam ad præsentia & præterita, ut in subjecto hujus, se-  
dens surgebat: alteram ad præsentia & futura, ut vivens mo-  
rietur: tertiam ad præsentia, præterita & futura, ut: Natus  
morietur: quartam ad præsentia, præterita, futura, & ad ea,  
quæ nihil repugnant esse, etsi nunquam fuerint, nec sint, nec  
futura sint, quæ possible vocantur, ut: Omnis homo est ani-  
mal.

§. 18. De Ampliatione temporum hætenus: nunc porrò  
de Ampliatione temporum & suppositorum agendum est.

§. 19. Est autem Ampliatio temporum & suppositorum,  
quando suppositio termini extenditur, non solùm ad differen-  
tias temporis, sed & ad plura subjecta, ut in hac propositione:  
Justi in perpetuum vivent. Vocabulum justus non tantùm am-

B

pliatur

pliatur ad tempus præsens & futurum, ratione illius verbi de futuro, sed etiam ad homines præsentis & futuros. Et hæc Ampliatio terminis communibus convenit, ut prior singularibus conveniebat.

§. 20. Observandum autem illud probè est, supposita summi vel in actu existendi, vel in actu significandi. Hinc supposita alicujus termini dupliciter dicuntur esse in actu, vel quoad actum existendi, prout extra intellectum in præsentem existunt, ut quando homines actu jam vivunt, vel quoad actum significandi, prout naturam aliquam realem vel certam denotant atq; repræsentant. Sic Abraham, Isaac, Jacob, David & Patres nostri essentialiter includunt naturam hominis, eamq; repræsentant, quando in Enunciationibus ponantur. Sic in propositionibus essentialibus, quæ dicuntur aternæ veritatis, termini sumuntur in actu significandi, licet extra intellectum realiter non existant, ut: rosa est planta, quæ propositio vera est, etiam in hyeme, ubi rosa actu non existit. It, nix est corpus, licet actu non sit nix.

§. 21. Hisce duabus Ampliationum speciebus Lorinus adhuc tertiam addit, quam vocat Temporum & Formarum, eamq; reperiri ait in terminis connotativis, ut: dulce fuit amarum, h. e, quod est dulce, vel fuit. Verum enim verò factis nobis duæ sunt, temporum nimirum & suppositorum, ideoque Lorinum sensu suo abundare grave nobis haud ducimus.

§. 22. Nunc afferemus in medium documenta & regulas quasdam, quo cognoscamus ubiq; Ampliationem rectius atq; melius, ejusq; naturam penitiùs perspiciamus. Et quanquam illarum pauca non sint, forsan tamen potiores erunt, quæ sequuntur.

§. 23. Prima regula. Verbum adjectivum præteriti temporis

risampliat subjectum ad præsens & præteritum: Adjunctum  
 verò suum restringit ad tempus præteritum solùm, ut si dicas:  
 Petrus audivit lectionem Philosophicam. Est enim sensus:  
 Petrus qui est vel fuit, audivit lectionem Philosophicam præ-  
 teritam. Eadem ratio est verbi substantivi temporis præteriti,  
 quando est de tertio adjacente. Ut si dicas; senex fuit puer,  
 quia vicissim sensus est: senex qui est, vel fuit, fuit puer.

§. 24. Secunda regula. Verbum adjectivum futuri tempo-  
 ris, ampliat subjectum ad præsens & futurum: adjunctum verò  
 restringit ad tempus futurum solùm: ut si dicas: Petrus au-  
 diet lectionem Philosophicam. Est enim sensus: Petrus qui  
 est vel erit, audiet lectionem Philosophicam. Quod idem  
 quoque dicendum est de verbo substantivo futuri temporis,  
 cum est tertij adjacentis, ut si dicas: adolescens erit vir, quia  
 vicissim idem est sensus; nempe hic: adolescens, qui est vel  
 erit, erit vir.

§. 25. Tertia regula. Extrema propositionum, quæ sunt  
 in materiâ necessariâ vel impossibili seu remotâ, item, in qui-  
 bus reperitur nomen possibile, vel similia, accipiuntur am-  
 plissimè, h. e, pro præsentibus, præteritis, futuris & possibili-  
 bus, nisi quid impediât. Ut si dicas: nullus homo est lapis  
 (quæ propositio est in materiâ remotâ seu impossibili) Est  
 enim sensus: nullus homo, qui est, aut fuit, aut erit, aut aliàs  
 esse potest, est lapis, qui est, aut fuit, aut erit, aut aliàs esse po-  
 test. Dicimus verò nisi quid impediât, quia ampliatio sæpè  
 numero impeditur per restrictionem. Ut si dicas: Omne  
 animal, quod existit in rerum naturâ, est substantia. Accipi-  
 tur enim animal ita, non nisi pro præsentibus seu existen-  
 tibus.

§. 26. Quarta regula. Subjecta propositionum negantium  
 accipiuntur amplissimè, ut si dicas: nullus homo ambulat.



Est enim sensus: nullus qui est, aut fuit, aut erit, aut esse potest, ambulat. Et hæ sunt præcipuæ regulæ, quibus Scholastici doctrinam de Ampliatione illustrare solent. Cæteras vide apud citatos autores, Fonseca in primis l. 8. Inst. Dial. c. 38. & alios.

§. 27. Omnium autem optima atque certissima regula est, considerare attentè, quomodo prædicatum conveniat subiecto, plurima enim sunt vocabula, quorum ampliatio ex regulis colligi non potest.

§. 28. Satis etiam de Regulis. Sicut autem adhuc vidimus, quid sit Ampliatio, item, quæ Ampliationis species & modi: ita postulat ordo, quem nobis facimus, ut usum nunc postremo omnium exponamus, quem hæc disputatio habere potest.

§. 29. Amplissimus autem iste est, licet non cuivis obvius, primò in profanis & sacris propositionibus intelligendis & rectè explicandis, e. g. hæc propositio: omnes homines judicabuntur à Christo, ita explicatur, omnis, qui vel fuit, vel est, vel erit, judicabitur à Christo. It. Omnis homo est à Christo redemptus, h. e., omnis qui est, vel fuit, vel erit homo, est à Christo redemptus &c.

§. 30. Secundò præstantem fructum ex hac doctrinâ capimus in propositionibus legitimè convertendis, ubi in convertente eadem temporis differentia debent retineri, quæ fuerunt in subiecto convertendo. Sic v. g. hæc propositio: Omnis homo est à Christo redemptus, ita est convertenda: Ergo quidam qui est à Christo redemptus, est, vel fuit, vel erit homo.

§. 31. Tertiò vehementer conducit rationibus nostris Logicis tenere hæc omnia fideliter ac observare, in oppositionibus secundum latas leges accuratè instituendis. Nam in oppositio-

num

ly.

num doctrinā à Doctoribus cautum est, ne termini diverso sed eodem prorsus modo, adeoq; etiam secundum easdem temporis differentias accipiantur. Sit exemplum: Omnis homo est natus, quidam homo non est natus, propositiones oppositæ non sunt, si scilicet in priore sumas amplè terminum homo, hoc sensu, omnis qui est vel fuit homo, natus est: in posteriore verò distractè hoc sensu: quidam qui erit homo, non est natus. Ita enim utraq; vera est, quod in contradictoriis nunquam contingit. Quod si ergo datæ & similes propositiones debent esse contradictoriæ, termini secundum easdem temporis differentias accipiendi sunt, & mox alterutra falsa existet.

§. 32. Deniq; utilitatis atq; emolumentum plurimum hæc, quæ proposuimus, habent in sophismatibus resolvendis, ad quod negotium sequens, quem ob id notandum putavimus, Canon non parùm faciet. Est autem hic: Nullus terminus in unâ & eadem argumentatione accipiatur diversimodè, ita ut jam Ampliationem, jam Statum, jam alium atq; alium Statum, jam Distractionem admittat.

§. 33. Sic enim ex veris præmissis sequetur falsa conclusio, cum propter æquivocationem terminorum termini augeantur, & sic vitium in formâ fiat.

§. 34. Hoc etiam sciendum est, terminum amplè sumtum se habere ad non amplè sumtum, sicut se habet superior ad inferiora, sic videlicet, ut complectatur non ampliatur, & aliquid amplius: ut igitur licet argumentari à superiori distributo ad inferius, ita etiam à termino amplè sumto, ad non amplè sumtum, idque tam affirmativè, quàm negativè, ut: Omnis homo est animal. E. omnis homo, qui existit, est animal. Item, sicut sequitur ab inferiori ad superius non distributum, sic à non amplo ad amplum non distributum, ut: homo, qui existit, est animal. E. aliquis homo est animal.

§ 35. Improbæ igitur monetæ sunt, quæ jam sequuntur argumentationes.

1.

*Qui natus est, non est nascendus,*

*Omnis homo natus est.*

*E. Nullus homo est nascendus.*

2.

*Quod emisisti, illud comedisti,*

*At carnem crudam emisisti.*

*E. Carnem crudam comedisti.*

3.

*Omne mortuum est non Ens,*

*Nullus homo est non Ens.*

*E. Nullus homo est mortuus.*

4.

*Omne combustum est non Ens,*

*Nulla domus est non Ens.*

*E. Nulla domus est combusta.*

5.

*Nullum viduum est mortuum.*

*Omnis homo est viduus.*

*E. Nullus homo est mortuus.*

Ad hæc & similia argumenta omnia respondemus, unum eundemq; terminum in unâ, eâdemq; argumentatione diversimodè accipi, modò amplè, modò strictè, ut examinanti ad oculum clarissimè patebit. Hisce igitur sophismatibus prohibendis nostram Canonem posuimus.

TANTUM EST.

Addi.

# Additamenta

20.

I. An Logica Objectum sint voces? *Resp. Negamus contra Nominales. Exemplar alicujus edificij, quo illius formam architectus exprimit, ineptè materia statueretur; ita & voces, quibus manifestat Logicus conceptus suos, incongruè Logica materia dicerentur.*

II. An notionis secundæ objectum sit extra mentem, ipsaq; notio sit quid reale? *Negamus contra Matthæum Mant. Czanakium Ungarum, in controversiis suis contra Praelectiones extemporaneas in Systema Logicum Keckermanni Rev. plur. atq; Excell. Viri Dn. Jacobi Martini, Rectoris p. t. Magnifici, editis, non sine absurditate hoc asserentem.*

III. An Aristoteles Logici Systematis inventor dici mereatur? *Affirmamus, contra Ramum.*

SOLI DEO GLORIA.

MEP. 1



Περὶ τῆς Φύσεως, μαθήσεως, ἀσκήσεως.

**N**atura bonitas, artis tenor, impetus usus,  
Perfectum reddunt hac tria puncta virum.  
Nemo tamen magnus sine Numine; Numinis aurâ,  
Sis magnus, major, maximus, ergò precor.

Ita GROSSIO Suo publicè  
Disputanti vovet

Paulus Röberus D.

---

Ad

Ornatiss. Respondentem.

**D**ijudicare Logica res probe addocet:  
Et judicare res probe id verò facit  
Patere verum; quem sibi finem petit  
( Nam gloriam Sophista spectat & lucrum )  
Turba universa ritè philosophantium.  
Quid multa GROSSI? rectè es ingressus viam:  
Verum invenire ut ritè philosophans queas,  
Veri parare antè organum pulchrè studes.

Augustus Buchnerus.

---

**P**remia magna refert, sudasse virentibus annis,  
Hoc dum scis, Grossi, pulpita docta petis.  
Perge ita, ceu pergis, cœpti pertexere telam,  
Auspicium ut felix, sic quoq; finis erit.  
deprop.

Præses.

F I N I S.

05 A 662

ULB Halle 3  
004 207 483




5b

WOOD

all.







13.

I. N. J.  
DISPUTATIO SECUNDA  
*De*  
PARVIS LOGICALIBUS,  
*Quam*  
Sub Præsidio  
M. JOHANNIS DÜRRII DRESD.  
Alumni Elect. & Collegij Phil. Adjuncti,  
*proponit*  
DAVID GROSSIUS MITW. MISN.  
*ad diem VI. Martij horis antemer.*  
In Auditorio minori.

---

WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.  
ANNO MDC. XLI.